

fr. Wolfgangus, prof. in Tyernstain, prbti. — Fr. Vitus Vöckhel, prbt. et prof. in Tegernsee.

31.

**D. II. Kal. Junii. Petronelle virginis.**

Christannus, diac. nostr. congr. — Hainricus, conv. nostr. congr. de Gundramstorf, a quo habemus Aychau et Ritzensdorf. — Sor. Hester de s. Maria Magdalena. —

Guntramsdorf, ein Pfarrdorf in Nieder-Oesterreich bei Mödling; Aichau, jetzt Achau ein Pfarrdorf bei Laxenburg; Ritzendorf eine Ortschaft bei Grossrussbach in Nieder-Oesterreich.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

## Disciplina monasterii Rhenaugiensis.

(Ex Hohenbaumii aliorumque scriptis nec non e tabularii Rhenaugiensis documentis collecta a P. Fridolino Waltenspül, monasterii huius, nunc suppressi, quondam archivario et priore dignissimo.)

### Notae praeviae.



Monasterium Rhenaugense (Rhenoviense, Rheinau) ord. s. Bened. situm erat duo fere milliaria infra Scaffusium (Schaffhausen) in insula Rheni.

Hoc monasterium fundavisse dicitur Wolfhardus (Welf, Welfus magnus) filius Ruthardi missi dominici in Alemannia. Condidit monasterium in insula Rhinove dicta anno 778, cuius foundationis diploma nullum exstat.

Restaurarunt: Wolfius, (Welf etiam Ethico dictus) filius Wolfhardi fundatoris et Wolfenus, filius Wolfini, Wolfhardi nepos, qui impulsu S. Fintani, ex Scotia in Allemanniam profecti monasterium destructum pro remedio animae suae et antecessorum (patris scilicet et avi) restaurasse monachosque dispersos collegisse fertur. Quae cum feliciter peregisset Wolfenus una cum fratribus abbatem elegit Gozpertum ex monasterio St. Galli postulatum circa 851. Dein Moguntiam adiit, quo 852 Ludovicus rex concilium convocaverat, ut per confirmationem et privilegium abbatis et advocati libere eligendi monasterio restaurato firmitatem praeberet quod et pa-

trocinante Hrabano, Moguntino metropolita, Salomone, episcopo Constantiensi, et Folcwinno Augiae divitis abate a Ludovico Germanico obtinuit. Posteriore tempore restaurator factus est ipse Rhenaugiensis abbas anno 858. Exuvias S. Blasii ep. et mart. Roma attulit, quarum magna pars (Rhenaugiae retento cranio) translata est ad Cellam Albam, quae in posterum vocabatur monasterium S. Blasii viris eruditis celeberrimum.

Asceterium Rhenaugiense elapsis annis mille amplius quamquam de religione, scientia et agricultura optime meritum tamen aliquot ante lustra decreto regiminis Tigurini penitus dissolutum et abolitum est. Qua suppressione anno 1862 die 2. mensis Martii cum 157 ex 180 votis decreta et funesto hoc suffragio iamiam die 22. mensis Aprilis confirmato, commissarii extinctionem dirigentes ineunte mense Maio Rhenaugiam advenerunt. Elapso quatuor mensium spatio abbas et conventuales die 22. mens. Augusti monasterium relinquere coacti sunt. Nunc aedificia serviunt recipiendis hominibus pagi Tigurini vel dementibus vel morbis insanabilibus affectis. Ecclesia monasterialis cultui divino manet addicta et est parochialis civitatis Rhenaugiensis.

Bibliotheca et archivi diplomata post suppressionem Tigurum sunt ablata ubi adhuc adservantur, signis codicum iisdem, quae in monasterio erant, relictis.

(Plura vide in „Freiburger Diöcesan-Archiv“ Bd. XIII. praef. ad Catalogum religiosorum Rhenaug. pag. 253 sequ.) A. L.

Quae porro de eiusdem monasterii disciplina monastica, consuetudine et moribus subiunguntur, ex sequentibus fontibus hausta sunt:

Hohenbaum van der Meer Mauritius. Kurze Geschichte der tausendjährigen Stiftung des frei-eximirten Gotteshauses Rheinau, nebst einem treuen Verzeichnisse der Aebte und der merkwürdigen Begebenheiten, die sich unter ihnen zugetragen haben, verfasst auf das tausendjährige Jubelfest. Donaueschingen 1778. 190 S. Fol.

- Eiusdem: *Historia diplomatica monasterii Rhenaugiensis, ord. S. Benedicti, cum codice diplomatico.* (Nur die Geschichte der ersten sechs Jahrhunderte wurde veröffentlicht [von Zapf] in den „*Monumenta anecdota historiam Germaniae illustrantia.*“ Aug. Vind. 1785. pag. 223—551. Das Uebrige ist noch Manuscript.)
- Eiusdem: *Millennarium monasterii Rhenaugiensis.* (Eine vollständige Geschichte des Stiftes.)
- Fridolin Waltenspül-Lindner: *Catalogus religiosorum exemi monasterii Rhenaugiensis, congregationis Helveto-Benedictinae* (Freiburger Dioecesan-Archiv 1878. B. XII. S. 251—288. Fortsetzung und Schluss werden im XIV. Bde. [1880] erscheinen.)
- Vita S. Fintani in Zapf: *Monumenta anecdota.*
- Notata ad disciplinam, consuetudines et veterem liturgiam in monasterio Rhenaugiensi spectantia, ex archivo Rhenaugiensi, P. Mauritii Hohenbaumii scriptis et aliis documentis domesticis excerpta a P. Fridolino Waltenspül, eius monasterii priore et archivario. (1861.)

Seculo monasterii primo abbas Wolfenus ex gente Welforum, quum anno 863 monasterii Rhenviensis bona amplis donis augetet, declaravit, gentis suae litibus monasterium id devastatum atque dirutum esse; quo casu literaria quoque historiae monasterii documenta interiisse videntur adeo, ut primi eius seculi disciplinae capita manserint incognita. Coniectare tamen licet, prout in aliorum coenobiorum exordiis contingit, parvum quidem monachorum gregem magno tamen animo disciplinam monasticam consecutum fuisse, sed monasterio fere penitus devastato ad perfectionem non pervenisse. (Millenn. III. 109.)

Finis et causa foundationis exprimuntur in diplomate primo, ubi Ludovicus Germanicus ait: „Ob laudes divinas et regulares disciplinas monasterium a maioribus Wolfeni fuisse constructum.“ In secundo diplomate idem rex causam ipsius restorationis declarat: „Ille (Wolfenus) ob amorem domini nostri Iesu Christi et pro remedio animae suae et antecessorum suorum praefatum monasterium restauravit.“ (Mill. III. 10.)

Obligationem monachorum Wolfenus ipse in re-

staurationis suae instrumento his verbis expressit: „Quatenus ipsius (regis) et successorum suorum mei quoque et parentum meorum memoria in orationibus monachorum ibidem existentium assidue frequentetur, atque praefatus locus inconcussus existens laudes in perpetuum auctori nostro Deo valeat persolvere.“

Monachi igitur laudes divinas per officium psalmodiae iugiter frequentabant, pro rege ac fundatoribus Dei misericordiam incessanter implorabant, idque sub regulari i. e. monastica disciplina peragebant. Sed quam regulam tunc observabant? Si verum est, Gozpertum primum abbatem ex monasterio S. Galli postulatum fuisse, credendum est, eiusdem monasterii disciplinam hic quoque fuisse introductam. Constat autem, a tempore Othmari (circa medium seculi VIII.) omissa regula S. Columbani unice alteram S. Benedicti a S. Gallensibus observatam. (Mill. III. 111.) Quin imo in eodem Ludovici diplomate monasticae professionis atque votorum emissionis haud obscure fit mentio. Subdit enim: „Si idoneus inter eos reperiri non possit a quacunque monasticae professionis congregatione sibi rectorem eligant, donec rursus suorum aliquem ibi votivum invenire possint dispensatorem.“

Habebatur igitur iam tunc professio monastica, emittebantur etiam vota. „Ibi votivum“ specialiter ad stabilitatem loci pertinere videtur, seu ad locum, ubi quis vota emisit, significandum. Credibile quoque est, professionem istam atque vota emissa fuisse secundum praescriptum s. regul. cap. 58, promittendo nimirum stabilitatem et conversionem morum et obedientiam coram Deo et sanctis eius, maxime quorum reliquiae ibi erant. (Mill. III. 111.)

Ceterum inter monachos plures erant sacerdotes, ut numerum reliquorum ferme adaequarent. Praeter sacerdotes in monasterio plerique erant clerici in maioribus constituti, quin etiam simplices monachi literati ad

chorum et laudes divinas deputati. Praeterea plerique ex religiosis erant nobiles. Licet enim credibile sit, illis temporibus secundum regulam S. Benedicti omnis generis et nationis homines in monasteriis suscipi potuisse et data occasione etiam susceptos fuisse, de monasterio Rhenoviensi constat ex chartis, non solum nobiles sed etiam comites atque dynastas monachis illis fuisse aggregatos; qui mos adeo invaluit, ut posterioribus seculis nonnisi nobiles inveniantur religiosi. (Mill. III. 115.)

Vestes quod attinet, difficile est earum formam et colorem designare. Tempore s. patris B. nullae adhuc interulae nec apud laicos in usu erant. Hinc Mabillonius affirmat, tunicas monachorum fuisse albas, scapularia et cucullas fuscas vel nigras. Praevaluit sane color niger apud monachos, ut Vadianus testatur, gerebantque interulas ex panno fusco, tunicas vero oblongas et arctas ex nigro, cuculla superinduta. Antiquissimus, quem habemus, habitus ad finem seculi duodecimi depictus abbatis Henrici I. tunicam satis arctam et oblongam exhibet, sed videtur fusca potius quam nigra. (Cod. ms. num. XIV.) Verticem summum habet late rasum, capillis reliquis longius defluentibus, qui mos erat antiquissimus. Henricus abbas et S. Fintanus non cum proluxa barba, nec tamen usque ad cutem rasa comparent. Mabillonius adfert exempla, quibus docetur, monachos quater in anno fuisse tonsos et rasos. (Mill. III. 117.)

Ex vita S. Fintani (Zapf monum. anecdot. p. 267, 273, 277, 284, 289, 297.) discimus: **1.** Numerum fratrum post restaurationem iam fuisse auctiorem. Certe ex libro fratrum conscriptorum monasterii S. Galli patet, 24 monachos sub Wichramo abbate simul vixisse. **2.** Fratres communiter in conclavi singulis in lectis dormire solitos; lectos propter honestatem fuisse conopeo obductos. **3.** Ecclesiam monasterialem fuisse vocatam basilicam per excellentiam et praestantiam super alias

minores ecclesias. In charta enim (num. XXIV.) subscribitur: „Actum in basilica eiusdem loci.“ Eam vero in medio insulae constructam fuisse, verisimile est; nam ecclesia quoque sub initium seculi XIII. dedicata prorsus in medio conspiciebatur. Sacrum evangelium, imo totam consequenter missam quotidie solemniter et alta voce decantatam fuisse, vel ex eo liquet quia alias a Fintano in suo reclusorio, prout acta testantur, non potuisset audiri. **4.** Singulis fratribus separatim victum quotidie fuisse assignatum quem aut absumere aut pauperibus distribuere permittebatur, praehabita tamen abbatis licentia, quae negari non solebat. Dicitur enim in vita S. Fintani, parvam annonam ad victum quotidianum sicut aliis fratribus Fintano datam fuisse. Consistebat porro ista annona sine dubio ex regula S. Benedicti in hemina vini aut cerevisiae (in illa regione tunc temporis usitatae, quum copia vinearum nondum adesset), in libra panis propensa et in duobus pulmentariis. Dicitur quidem Fintanus distribuisse pauperibus carnes; verum sicuti constat, Fintanum carnibus usum non fuisse, ita credibilius est, nec reliquos fratres iisdem usos. Constat etiam (ex charta XIII.), non solum victum, sed etiam vestitum singulis annis fratribus fuisse distributum. **5.** Paupertatem et obedientiam a monachis fuisse observatas ex eo liquet, quod S. Fintanus non nisi ex licentia abbatis, quae de victu sibi subtraxerat, pauperibus erogare potuit. Paupertas tamen longe aliter quam nostra aetate observabatur. Certe Winitherus salutifera compunctione res transitorias contemnere sibi visus est, licet monasterium ingressus duplicatam annonam cum vestitu sibi reservavit. Cuius reservationis multa exempla in chartis monasterii exstant. Non ergo paupertati religiosae tunc contrarium videbatur, si sub conditione monasterio bona sua traderent, ut locum et nutrimentum ibi haberent (ut exprimitur charta IV.) **6.** Praecipuam patronam non solum basilicae sed etiam monasterii a

primis fundatoribus fuisse electam S. Mariam genitricem D. N. I. Ch., quam etiam pleraeque chartae eius monasterii nominant; imo quum in charta V. diserte exprimitur, „ad stabiliendum ibi servitium S. Mariae,“ haud obscure consequitur, monachos specialiter in servitium gloriosae virginis fuisse consecratos, eiusque cultum praecipue per fundatores et benefactores fuisse intentum. In diplomate Ludovici sub initium quidem dicitur, ab antecessoribus Wolfeni monasterium fuisse constructum in honorem S. Mariae Virginis; additur autem, ab ipso Wolfeno idem monasterium in honorem B. Mariae Virginis et B. Petri principis apostolorum restauratum esse. Ex quo patet, S. Petrum ab ipso Wolfeno primum fuisse superadditum. In posterioribus quibusdam diplomatibus asseritur monasterium etiam in honorem S. Blasii constructum fuisse; id tamen non aliter intelligendum, quam quod in ipsa ferme restoratione illatis S. Blasii reliquiis eius cultus statim fuerit insigniter propagatus. 7. Ab ipsa urbe Roma S. Fintano vivente sanctorum reliquias monasterio huic fuisse illatas, nec tantum S. Blasii martyris, sed etiam aliorum plurimorum. Unde merito monasterium hoc ab ipso Wolfeno „locus sanctus“ nominabatur. Ad hoc seculum referenda etiam videtur illatio reliquiarum S. Ianuarii M., cuius cultus, ut ex calendariis patet, in monasterio hoc fuit antiquissimus. (Mill. III. 109.)

Initio secundi seculi monasterii (a Christo X.) sine dubio eadem et quidem optima disciplinae norma observata fuit, quae circa seculi elapsi medium introducta fuerat „in loco sancto“, prout Rhenaugiam vocat Otto M. in diplomate suo. Nihilominus votum paupertatis non alio modo fuit observatum quam praecedenti seculo, ut patet ex Thuvetonis donatione (anno 963) (Integrum diploma vide apud Zapf monum. anecd. p. 456), quam ea videlicet conventionem fecit, „quatenus Wipertus nepos eius, qui et ipse monachus Rhenaugiensis coenobii

fuit, singulis annis ad mensam monachorum de praefato loco tribuat tres modios farinae et sex situlas cerevisiae et unam vini etc. . . . Si abbas aut monachi vel aliquis de potestate eorum impedimentum vel ullam laesionem deinde intulerint, hoc ipsum ad cohaeredes meos redeat.“ Et quod magis mireris, huic contractui ipse S. Conradus auctoritatem commodavit, atque ille ipse monachus tam solers disciplinae custos est creditus, ut post decennium abbas eligeretur. (Mill. III. 33.)

Duae quotidie missae solennes decantabantur; nam quum in ipsis missalibus adscriptae sint notae musicae, patet ipsum sacerdotem celebrantem una cum choro decantasse ea, quae hodie submissa voce solet recitare. (Mill. IV. 38.) Festum S. Fintani postremis huius seculi annis iam fuisse publice cultum, ex vitae eius descriptione erui posse videtur. (Mill. IV. 39.) S. Blasius hoc primum seculo patronis primariis reperitur adscriptus post B. V. Mariam et S. Petrum. Vocatur enim monasterium in diplomate Ottonis III., dato anno 995, „in honorem S. Blasii constructum.“ (Mill. IV. 40.) S. Mauritii nomen maioribus literis calendario huius seculi hoc modo inscriptum est: „Mauritii cum aliis sexies mille sexcentis sexaginta sex (6666) martyribus“. — S. Ianuarii festum in calendariis ponitur ad diem 19. Octobris. SS. Petrus et Paulus in quibusdam codicibus vocantur „domini nostri,“ utique ut singulares patroni. SS. martyres Felix et Regula, S. Alexander, Eventius et Theodulus in calendariis specialiter notantur. (Mill. IV. 41.) Dedicatio ecclesiae celebrabatur 22. Iulii, et haec quidem est omnium prima dedicatio, quae reperitur in codicibus, adeoque forsitan ecclesiae primae; nam illam ecclesiam, quae seculo XII. erecta fuit, consecravit episcopus Basileensis anno 1114 die 15. Novembris in festo S. Fintani, quo die etiam annue recolebatur, translato Sancti Fintani festo ad diem 16. Novembr. (Mill. IV. 42.)

Seculo monasterii tertio (Christi XI.) florescentem sub Notkero abbate disciplinam continuatam et ad auctam fuisse, ex publicis et privatis monumentis conici potest. Ad finem quidem seculi ab Henrico IV. eique adhaerentibus valde concussum fuit monasterium, maxime postquam strenuus advocatus eius, Rudolphus rex, anno 1080 occubuit. Sed vel inter persecutiones eo pulchrior constantia enituit; nam eodem hoc tempore codices ostendunt disciplinam iugiter melius fuisse reformatam. A carnis esu illo aevo abstinuisse adhuc monachos aut certe abstinentiam fuisse reductam constat ex MS. LIV. c. 45.

Ab initio seculi quarti monasterii (Christi XII.) usque ad medietatem eius disciplina monastica sub Ottone ac Dietmaro abbatibus bene constituta fuit; consuetudines religiosorum satis clare colligere possumus ex directorio num. 59 inter MSS. Patet ex hoc imprimis, praecipuam curam fuisse operis divini, orationesque in choro ad excessum usque fuisse prolongatas<sup>1)</sup>, quibus ferme per totam diem occupari necessum erat, nullo relicto manuum operi spatio, paucissimoque lectioni spirituali. Ceremonias in iisdem divinis officiis multiplices habebant, sacrasque vestes identidem induebant. Processiones multas et stationes ad altaria instituebant. Sacram regulam in plerisque observare studebant. Matutinum post mediam noctem cantabant, laudes ad ortum lucis. Somnus meridianus concedebatur. Ieiunium ex regula praescriptum erat, ita tamen, ut ob labores (i. e. festa XII lectionum) dispensaretur. Haustus pomeridianus permittebatur. A carnibus, non tamen a sanguine abstinebatur. (Mill. IV. 212.)

Seculo monasterii quinto (Christi XIII.) disciplinam regularem nondum penitus neglectam demon-

---

<sup>1)</sup> Haud aliter res in monasterio S. Blasii se habebant. Cf. Bader: Das ehem. Kloster S. Blasii. Freiburg 1874. S. 33.

strant codices his ipsis annis exarati; ex quibus specialiter eruitur, officium divinum decenter, graviter et cum prolixo cantu celebratum fuisse, item cultum sanctorum; B. V. Mariae novas ecclesias constructas, capita SS. Blasii et Mauricii argenteis thecis inclusa, certe vel unicus codex abbatis Heinrici de Wartenberg poterit testari. Quin et sub medium eiusdem seculi illatis ex Faventia (hodie Faenza), Italiae urbe, novis et copiosis sanctorum reliquiis per Burchardum abbatem novus fervor est excitatus.

Habitus regularis cum tonsura antiqua in summo vertice, capillis circumfluis, et barba non ad cutem rasa servabatur, ut in effigie Heinrici abbatis videre est.

Literis utcunque dabatur opera, ac saltem scribendis pulchre codicibus, ut etiam speciale munus bibliothecarii adfuisse memoretur. Quin imo et schola hactenus a religiosis instituta ad finem huius seculi ac deinceps secularibus sacerdotibus commissa fuit. Doctos demum ac zelo animarum ferventes monachos non defuisse, colligitur ex eo, quod ipsi per se parochialia munia ad SS. Felicem et Regulam administrabant, quae denique in posterum etiam presbyteris secularibus demandata sunt. In basilica vero monasteriali cura animarum non exercebatur; sepeliebantur tamen ibi nobiles defuncti, ut ex Krenkingersium et Hermanni Habsburgici historia eruitur.

Detrimenta disciplinae hoc seculo ad finem vergente forsitan mori illi, qui invaluit, adscribenda, non nisi nobiles in coenobia admittendi. Certum enim est, tales duntaxat in eo monasterio ab hoc aevo usque ad seculum XVII. reperiri. Regularis disciplina exinde intepescere coepit, dum magis nobilitas quam idoneitas in susceptione novellorum religiosorum respiciebatur; unde paulatim „domini“ vocari gestientes ad institutum canonicum declinabant, scholas, curam animarum, ac tandem disciplinam aspernabantur, se satis fecisse cre-

dentem, si officia divina in ecclesia persolverent. Quis vero miretur, invalescentibus advocatorum persecutionibus institutum monasticum in deterius prolapsum fuisse, quod in reliquis etiam coenobiis pessum ibat? Certe absente Burchardo II. abbate, qui aliquamdiu in castris caesaris erat, regula observari non potuit. (Mill. IV. 395.)

Seculo monasterii sexto (Christi XIV.) disciplina literaria presbyteris secularibus iam ab initio eiusdem seculi commissa fuit. Saltem hoc abbatibus et monachis dandum, quod eam per homines doctos utcunque fovebant, cuius testis esse potest Rudolphus de Radeg, in schola Rhenaugiensi educatus; testantur quoque codices MSS., quos si non ipsi monachi exararunt, saltem conscribi fecerunt vel certe conscriptos compararunt, quorum nonnulli magno aere steterunt. Pari modo cura animarum seu parochiae administratio clericis secularibus relicta ac demandata fuit.

Disciplina ecclesiastica in templo et choro ampla satis celebritate colebatur, licet horas canonicas potius de plano recitatas communiter extra solemnitates fuisse credibile sit, ob exiguum monachorum numerum, quem schola supplere debebat.

His temporibus multa anniversaria celebrari coepta duplicatis etiam officiis divinis. Solemnitates quoque maiori ornatu templi pluriumque candelarum lumine non solum in altari sed etiam tabula separata ac multis lampadibus fuisse cultas, discimus ex charta de anno 1383. At vero disciplinam monasticam hoc et sequentibus duobus seculis totam ferme fuisse neglectam, negari non potest, quamvis id non tam vitio privato, quam totius ordinis acciderit.

Certe nostrates non instar monachorum, sed potius canonicorum vivebant; bona separata non solum inter abbatem et conventum erant, sed et privati religiosi sua habebant stipendia. Plerique officia custodis, cellarii,

camerarii et iis similia cum propriis proventibus administrabant; prioris vero, qui disciplinae invigilaret, officium penitus suppressum erat. Henricus de Aitlingen primus capellaniam ad S. Blasium ex bonis abbatis, ut videtur, fundavit, adhibito tamen capituli consensu. Abbas Conradus de Iestetten aliique etiam privati religiosi, ut Ulricus de Balbe, anniversaria pro se suisque constituerunt.

Exstat charta in archivo de anno 1321, quae clare exprimit, singulis religiosis proprios fuisse annuos redditus, stipendia anniversariorum attributa et certos quoque numos assignatos. Haec stipendia ex statuto quodam capitulari solemniter facto iuebantur etiam pro illo anno, quo quis debitis gravatus mortuus fuerit, creditoribus adnumerari; residua porro haereditas ad illum vel ad illos pertinebat, cui vel quibus de iure deberetur.

Hic vivendi modus diu sine lite circa temporalia durare haud potuit. Unde factum, ut capitulares querebantur contra abbatem Henricum II. de Aitlingen de praebendis non sufficienter praestitis. Causam inter abbatem et conventum composuit anno 1365 advocatus monasterii, Rudolphus comes de Habsburg, sed ad dies vitae duntaxat abbatis Heinrici, ubi et certus modus seu mensura praebendae determinata est. Inde patet, praebendas illius aevi non fuisse exiguas. Mensam communem iugiter observabant.

Seculum monasterii VII. (Christi XV.) Ex instrumento compromissi quo religiosi omnes in nobilem virum Ioannem de Tengen aliosque seculares compromittunt, patet graves et diuturnas discordias intercessisse inter abbatem Hugonem et conventum anno 1411, quo nihil perniciosius monasticae disciplinae esse potest.

Quum vero seculares compromissarii fuerint electi, procul dubio res controversa attinebat temporalia, nimirum redditus annuos singulis dandos, de quibus iam superiori seculo lites quasdam exortas meminimus.

Nonnulli in officiis constituti, ut custos et cellarius, in separatis domibus habitabant, non minus quam ipsi abbates.

Quae pro reparatione disciplinae in monasterio nostro concilium Constantiense constituerit, ex sequentibus intelligatur. Patres concilii, considerantes ordinem nostrum olim florentissimum paene collapsum, idque provenire ex eo, quod capitula triennialia atque visitationes monasteriorum a summis pontificibus decretae negligenterentur, decreverunt, ut eiusmodi capitulum seu conventus celebraretur ipsis praesentibus Constantiae anno 1417, et ad id omnes abbates provinciae Moguntinae citaverunt, praecipientes sub poena excommunicationis, ut ad diem ultimam Februarii in monast. Petri Domus comparerent, alias dignitate abbatiali mulctandi. Comparuit igitur etiam abbas noster Hugo una cum reliquis totius provinciae, qui simul numerum 120 explerunt.

Die igitur praestituto capitulum diu hactenus intermissum celebrari coepit, in quo multa pro reparatione disciplinae constituta sunt utiliter, praesertim ut visitationes et capitula singulis trienniis instituerentur. Porro singuli abbates in primo illo capitulo Constantiae adigebantur iureiurando promittere, se servaturos, quae tunc ibi decreta forent, atque intra spatium unius anni manum ad reformationem actualem adhibituros.

Non constat, visitationem ante annum 1432 Rhe-naugiae habitam fuisse; eo tamen anno quum visitatores advenissent, Hugo abbas visitationem recusavit. Quapropter decanus ecclesiae Constantiensis, exsecutor a concilio olim deputatus, per publicas literas anno 1432 datas eidem abbati Hugoni praecepit, ut intra 15 dies visitationem admitteret, alias pro denunciato habendus. Cessit tandem Hugo et visitationem admisit. Abbate Zwifaltensi impedito venit solus Ioannes Kumbar, abbas Engelbergensis, anno 1433, et die cinerum vi-

sitationem habuit. Monasterii statum ipsemet sic describit :

„Invenimus abbatem et conventum minus sollicitos in regulari disciplina, et modicum exercitatos in ceremoniis monachalibus, similiter et in observantia refectorii et dormitorii negligentes; imo aliqui propriis domibus specialibus usi sunt. Invenimus tamen ornamenta, libros et calices et alia necessaria ad divinum cultum una cum structuris et aedificiis monasterii laudabili satis et competenti statu.“ Quibus subiungit, abbatem et conventum statim obedienter se submisisse regulari disciplinae ac reformationi. Inter alia observanda praecipit, ut clausura custodiatur, mendicantes ad ordinem non recipiantur; sine licentia et breviario non exeant; tonsuram et vestes secundum decentiam regularem ferant. Ulterius vetat, ne feria quarta et in adventu carnes comedantur; ne conspiratio aut diffamatio contra abbatem fiat; ne in propriis domibus, sed in cameris uno in dormitorio commorentur. Singuli sine mora cuncta in manus abbatis, etiam literas consignent; privati redditus tollantur; claves abbati exeuntes tradant; prior providus et discretus statim eligatur; quilibet sacerdos saltem semel in hebdomade celebret divina etc. etc.

Cur ista tamen parum observata fuerint, causa reicienda tum in turbas, ob persecutionem advocatorum praetensorum eodem tempore recrudescentes, tum in ipsum hunc visitatorem, cui Rhenaugia adeo placuit, ut dimissa propria abbatia hanc arriperet; quam vero per fastum et itinera, diurnamque absentiam, magno comitatu proficisci solitus, adeo pessumdedit, ut religiosi debita contrahere, imo aliqui pro victu discedere cogereentur.

Sub Eberhardo Schwager abbate continuis persecutionibus exagitato disciplina regularis reflorescere haud potuit; ostenderunt se tamen iugiter nostri in cultu divino et sanctorum ferventes et monasterii resti-

tuendi avidos. In exilio quoque Schaffhusii constituti religionem suam atque fiduciam in divinum auxilium interventu B. V. Mariae, singularis monasterii protectricis, non sine mirabili effectu ostenderunt, paulo post in integrum restituti.

Anno 1485 visitatio reassumpta fuit per Gregorium abbatem S. Stephani (Herbipoli, St. Würzburg), et Conradum abbatem Wiblingensem. Monasterii statum sic exponunt: „Reperimus monasterium quoad temporalia competenter, sed inordinate dispositum, quoad spiritualia vero paene collapsum.“ Inordinatam dispositionem temporalium procul dubio intelligebant, quod abbas et conventus distinctos ac ferme singuli speciales redditus possiderent. Causas collapsae disciplinae afferunt s. scripturae ignorantiam, defectum seu paucitatem religiosorum, negligentiam in institutione novitiorum, et quod abbas maiorem curam temporalibus quam spiritualibus impendat.

Ordinatur deinde imprimis cultus divinus et horarum canonicarum persolutio; diebus singulis culparum capitulum instituitur; sigillum conventus sub tribus distinctis clavibus custodiatur ab abbate, priore et seniore; tonsura duos transversos digitos lata geratur, vestesque decentes abolitis pretiosis; exeuntes scapulari induti sint et pallio, cui caputium adnexum; lineis camiseis minime utantur; nec dormiant in plumis, sed super madratias; uno in refectorio communiter comedant ex singulis scutellis; ne unquam desit lectio; silentium ubique observandum; post mensam spiritualia uno in loco congregatis per horam aut dimidiam praelegantur; extranei intra septa monasterii non admittantur; neque exeatur sine licentia, quae sine gravi causa non detur; balneum intra clausuram habeatur; ad noviciatum deinceps iuxta regulam S. Benedicti nobiles et ignobiles, pauperes et divites suscipiantur; abbas exemplo praebeat reliquis in choro et in refectorio reficiatur; singulis

annis coram conventu summariam rationum computationem faciat, ut exinde status monasterii quoad oeconomiam capitulo innotescat; vitentur serotinae sessiones; vestiarium sit unum omnibus commune etc. Postremo aboleantur omnia officia et beneficia ex proventu funeralium, et pecuniae, quas ab abbate pro dispositione privata accipere soliti erant.

Anno 1489 visitatio habita est per Conradum de Wiblingen et Bartholomaeum S. Crucis in Wedea <sup>1)</sup> abbatem. In hac visitatione recessum a disciplina confirmarunt, praecipientes, ut ea tandem executioni mandaretur, sub poena in proxima visitatione imponenda.

Ast monachos ab usibus suis tamen non recessisse et in priori statu perseverasse constat ex visitatione demum anno 1506 instituta, ubi visitatores itidem neglectam esse disciplinam confirmarunt. Adeo difficile atque durum est inolitam consuetudinem ceu alteram naturam exuere. (Mill. V. 367.)

Modum vivendi perspicere licet ex pactis capitularibus, quae singuli capitulares propria manu integra descripserunt ante electionem novi abbatis anno 1529, ubi conquesti de parva pensione pro magnis in choro laboribus ab abbate accepta, sibi mutuo iurati promittunt proventuum suorum aliquod auctarium. Unde conicitur non sine iusta ira id permisisse abbatem Henricum de Mandach, sed sine profectu. Idem abbas libros chorales in maxima forma ex meris membranis magno sumtu conscribi fecit.

Mirum sane, monachos huius aevi, multis saepe nobilibus et divitibus in coenobium susceptis, vitam religiosam seculari mixtam egisse atque peculii sui administrationem habuisse. Constat praeterea ex publicis Helvetiae actis, monasteriis impositum, ut monachis apostatis congruam sustentationem praeberent; quod

---

<sup>1)</sup> Donauwörth.

Rhenaugiae eo magis timendum erat, quum plura in protestantium territoriis bona sita haberet, eo in casu facile subtrahenda, nisi propria renuntiatione confundi fugitivus potuisset.

Sub abbate Theobaldo Wehrle de Greiffenberg (1565), quod ad literas attinet, aliquem profectum fecerunt monachi, quos primum Friburgum Brisgoviae ad hauriendas disciplinas literarias misit abbas Theobaldus; in epistola ad annum 1583 ipse testatur, illos subinde Ingolstadium fuisse missos et etiam Lucernam ad ludos societatis Iesu, quae consuetudo diutius retenta fuit. Prodiere etiam aliqui eruditi monachi, ut Geraldus Zurlaubem et Bernardus Herderer, qui in fragmentis quibusdam satis nitide loquitur, et Sebastianus de Salenstein inter eminentes sui aevi viros eruditos numerandus; libros, quos multos ex suo peculio coëmit, omnes plurimi faciunt; de re numaria inter primos scripsit atque collectionem non spernendam reliquit; heraldicum opus cum innumeris scutis ipsius labore prodiit, alia quoque antiquitatum genera primus collegit.

Caverunt denique omnes in actis capitularibus, ut maior pecuniae summa annuatim bibliothecae impenderetur.

Verum disciplina regularis hactenus in statu lapsa iacuit, monachis vitae adsuetis, qua in collegiis nobilium vivitur, et abbate, cetero laudabili, aedificandis tamen muris quam reficiendo ordini monastico magis intento. Plurimum se fecisse arbitrabantur, quod fidem catholicam non solum ipsi conservarent, sed etiam in subditis una cum frequentiori sacramentorum usu propagarent.

Chorum quod attinet, constat MS. LXI. adiuvantibus saccellanis laboriose habitum fuisse, officio seu missa plerumque duplici, quotidianis ferme defunctorum obsequiis, processionibus praesertim ad S. Fintanum.

Mirum non est, monasticam disciplinam adeo ne-

glectam fuisse, quum ultra 70 annos nulla Rhenaugiae visitatio habita fuerit. Anno demum 1589 Octavius Paravicinus, nuntius in Helvetia apostolicus, monasterium visitaturus advenit. Egit primo de pertinentibus ad ecclesiam; prohibet deinde superstitiosum, ut putabat, cultum sepulchri fundatorum, quod in medio ecclesiae altius eminebat et umbella subinde tegebatur; impedire tamen non potuit, quin candelae saepius ibi accenderentur et officia pro mortuis non solum annuatim sed et hebdomadatim, choro monumentum cingente, persolverentur. Secundo titulo de pertinentibus ad abbatem, eundem hortatur, ut reliquos exemplo in omni virtutum genere praeire satagat, chorum frequentet, missam saltem dominicis et festis diebus legat, parochis incorporatarum ecclesiarum investituram concedat.

Tertio titulo de pertinentibus ad monasterium et monachos commendatur summopere post divina officia studium literarum; magister eruditus conducatur; monachi in studiis publicis degentes sese magisteriis aptos efficiant; peculium omne cum proprietate aboleatur, neque abbas certas pecunias pro vestibus aliisque necessitatibus monachis tribuat, sed sint omnia omnibus communia; ieiunia non solum ecclesiastica sed et regularia observentur; confessiones hebdomadatim sacerdotes frequentent, singulis vero mensibus confiteantur capucinis Badena adventuris; lectio spiritualis saltem ad initium mensae adhibeatur: chorus diligenter frequentetur, clausura custodiatur, libri haeretici, quorum plures adsunt, mox comburantur; ipsi vero monachi a conviviiis nuptialibus et crapula abstineant.

Quam parum tamen haec pauca observata fuerint patet ex articulis capitularibus ad ecclesiam, abbatem et monachos spectantibus, quos quatuor monachi post mortem abbatis anno 1598 pepigerant. Officia divina et clausura stricte observanda proponunt; proventus conventus diligentissime custodiri iubent, neque abbas invadere prae-

sumat; bibliotheca augeatur, medicus proprius conducatur, denique feria VI. ante dominicam „Iudica“ singulis annis capitulum solemniter celebretur, ubi praeter alia conventuales rationem debitorum suorum exponant et licentiam disponendi cum rebus suis ab abbate pro securitate conscientiarum obtineant.

Vix quidam abbates Helvetiae, aliorum exemplum et concilii Tridentini monita secuti, in societatem coire coeperunt, quum Geraldus abbas Rhenaugiensis, id optimum restaurandae disciplinae medium perspiciens, iisdem se aggregare decrevit.

Abbatibus igitur Bernardus S. Galli, Augustinus Einsiedlensis, Iodocus Murensis et Benedictus Fischingensis convenere Einsiedlae anno 1602, ubi Ioannes Turrianus episcopus Vegliensis, nuntius apostolicus, abbatibus praesentes vehementi oratione ad constituendam inter se congregationem adhortatus est. Quapropter indictus alius conventus ad diem 12. Iulii in oppido et aula Wilensi, ubi princeps S. Galli certos articulos proposuit, quibus mature expensis redirent ad 4. Novembr. eiusdem anni in arcem Pffefficon. Pro fundamento aliquo reformandae disciplinae iaciendo quosdam articulos ibi statuerunt. Inter haec iam agebatur de Rhenaugia congregationi socianda. Die 9. Aprilis 1603 in monasterio S. Galli praesentibus reliquis abbatibus advenit etiam Rhenaugiensis coenobii praelatus. Is quum instanter ac devote, ut collegio inseri mereretur, rogasset eique omnia statuta fuissent proposita ille autem promptum se ac paratum ad ea custodienda declarasset, in coetum illum relatus est. Propositis autem a Geraldo Rhenaugiensi quibusdam difficultatibus, quibus urgeretur et, quominus ad reformandum coenobium suum posset valescere, impediretur, mox soluto conventu Iodocus abbas Murensis nuntium Lucernae adiit causamque abbatis Rhenaugiensis instantius commendavit. Nuntius mandat, ut Iodocus abbas cum principe S. Gallensi quamprimum

Rhenaugiam se conferat, visitationem instituat et omnia ad restaurandam disciplinam regularem ordinet. Visitatione hac a praedictis abbatibus Rhenaugiae instituta, Geraldo abbati superiorum congregationum decreta observanda iniunguntur. Quum igitur post visitationem Geraldus abbas Rhenaugiensis disciplinae regulari restaurandae diligentem daret operam, conventualium suorum in se odium et rebellionem concitavit, a quibus multas vexationes et contradictiones fuit perpressus.

Tandem auctoritate apostolica nova disciplinae reformatio in monasterium die 8. Augusti 1603 solemniter introducta est, brevique tempore 1638 sub abbate Eberhardo inter congregationis membra non minimo splendore fulgebat. A die 8. Augusti 1603 Rhenaugiae novus plane conventus comparuit, a Geraldo abbate brevi eius regiminis tempore aliis post reformationem introductam susceptis fratribus. Quatuor erant sacerdotes, omnes extranei, totidemque fratres Rhenaugiae professi, praeter unum, qui ex S. Gallo in subsidium venerat. Hos ceu satores novi propemodum instituti considerare oportet. Hi igitur viri octo, praeter Geraldum abbatem et subsidiarios extraneos, prima reformatae disciplinae fundamenta iecerunt. Numerus hic parvus mox insigniter excrevit. Nam Udalricus abbas brevi regiminis sui tempore sex et eius successor Eberhardus viginti quatuor suscepit, paucis interea, nec nisi post 1629 mortuis. (Mill. VII. 39.)

In visitatione anno 1606 habita visitatores abbatem monuerunt, ut, quum senio et frequentibus morbis praegravaretur, aliquem ex religiosis cellarium constitueret, qui rei domesticae curam gereret. Ab hoc igitur tempore Ioanni Theobaldo Locher, nondum biennio sacerdoti, ea cura oeconomi iniuncta fuit. In eadem visitatione visitorum consilio iterum praefectus seu advocatus secularis a Geraldo abbate constitutus est.

In visitatione 1609 habita visitatores nimiam prope-

rantiam aut tarditatem in psallendo reprehenderunt, et conciones ad populum nimium prolixas abrogarunt.

Quoad reformationem disciplinae regularis magni progressus in monasterio facti sub Udalrico abbate.

Fratres ad literarum studia magnopere adigebantur habebantque propterea aliquas exemptiones e choro. Philosophia et theologia iis praelegebatur, quamvis omnes Dillingam mitterentur, unde sane viri docti et ad monasterii emolumentum honoremque utiles redibant. Verum praecipua cura impendebatur in erudiendis ad disciplinam monasticam iunioribus, P. priore plerumque novitiorum magistri officium subeunte. Scholae disciplina rigida erat; non admittebantur nisi qui simul ordinem adspirarent iique vilibus ministeriis acriter probabantur. Anno 1659 dedicatio basilicae cum consensu episcopi a die 15. Nov. translata est in dominicam post festum S. Placidi, ut festum S. Fintani suo die celebrari posset.

In visitatione anno 1674 plerique conquesti sunt de minori sollicitudine in administranda re oeconomica, unde diuturnae dissensiones enatae. Anno 1677 repetitis iisdem querelis visitatores statuerunt, ut oeconomus post calendas Ianuarias singulis annis abbati rationes deponat praesentibus duobus ex conventu, id quod anno 1678 revera factum est.

Quum anno 1681 gravius ingeminarentur querelae de annonae caritate et debitorum magnitudine, Bernardus abbas a visitoribus mandatum elicit, ut ad festum S. Laurentii causae querelarum a singulis scripto mitterentur, in proxima visitatione secundum iustitiae rigorem expediendae. Quid postea secutum, nullibi exprimitur; illud ex diariis liquet, his ultimis Bernardi annis animos nonnihil divisos fuisse. Et haec quidem inter homines illius aevi acciderunt, alias regularis disciplinae exactos custodes. (Mill. VII. 556.) —

Hactenus fontes praefatos usurpare visum erat.

